

RECENS HABITÆ

31

alis, ac in plenilunio tota peripheria non inaequalis, aspe-
ra, & sinuosa, verum exacte rotunda, & circinata, nullisq;
tumoribus aut cavitatibus corrosa conspicitur? atq; ex eo
maxime, quia totus integer limbus ex clariori Luna sub-
stantia constat, quam tuberosam, lacunosamq; totam esse
diximus magnarum enim macularum nulla ad extremū
vsq; perimetrum exporrigitur, sed omnes procul ab orbita
aggregata cernuntur. Huius apparentiæ ansam tam gra-
uiter dubitandi praebentis, duplicem causam, ac pro-
inde duplicem dubitationis solutionem in medium
affero. Primo enim, si tumores, & cavitates in corpore Lu-
nari secundum unicam tantum circuli peripheriam, hemi-
sphaerium nobis conspicuum terminantem, protenderentur,
tunc posset quidem, imo deberet Luna sub specie quasi den-
tata rote se se nobis ostendere, tuberoso nempe, ac sinuoso am-
bitu terminata: at si non una tantum eminentiarum series,
iuxta unicam solummodo circumferentiam dispositarum,
sed permulti montium ordines cum suis lacunis, & anfra-
ctibus circa extremum Lune ambitum coordinati fuerint,
iq; non modo in hemisphaerio apparente, sed in auerso etiam
(prope tamen hemisphaeriorum finitorem) tunc oculus a lon-
ge prospiciens eminentiarum cavitatumque discrimina de-
prehendere minime poterit; inter capedines enim montium
in eodem circulo, seu in eadem serie dispositorum, obiectu-
aliarum eminentiarum in aliis, atq; aliis ordinibus consti-
tutarum, occultantur, idq; maxime, si oculus aspicientis in
eadem recta cum dictarum eminentiarum verticibus fue-
rit locatus. Sic in terra multorum, ac frequentium monti-
um iuxta secundum planam superficiem disposita apparent,
si prospiciens procul fuerit, & in pari altitudine constitutus.
Sic aestuosi pelagi sublimes undarum vertices secundum idē
planum videntur extensi, quamuis inter fluctus maxima

B 3